



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Eusebiu Tu Pamphilu Ekklesiastikē Istorია

Eusebius <Caesariensis>

Mogvntiae, 1672

Henrici Valesii Dissertatio de Martyrologio Romano quod edidit
Rosvveydus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14478

Post Origenem *non* illa seu vulgaris editio in dies magis magisque corrupta est. Duæ tamen potissimum ejus editiones fuere: altera Alexandrina quæ Helychiiu habebat auctorem: altera Luciana, quæ Luciano martyri adscribatur. Nam Eusebii Cæsariensis editio quæ in Palestina & Orientis Ecclesiis legebatur, nihil pertinuit ad *non* illam seu vulgatam editionem: quippe cum nihil aliud esset quam ipsa Origenis editio, ut antea demonstratum est. Porro cum illa obelorum & asteriscorum distinctio quam in 70. Interpretum editione primus excogitaverat Origenes, Christianis omnibus mirifice arripisset, eam quoque in suas editiones transtulerunt Helychius ac Lucianus. Nec Græci modo, verum etiam Latini & Syri atque Ægyptii, qui vulgatam editionem sequebantur, hac asteriscorum & obelorum distinctio ab Origenes reperta postea sunt usi. Quod quidem à nemine adhuc obleratum, superius, ut opinor, abunde probavimus. Scio quidem Andream Masium in præfatione in editionem suam Josuæ, aliter existimasse. Cum enim ex Hieronymo didicisset, illam sub obelis & asteriscis editionem in omnibus omnium Ecclesiarum Bibliothecis repositam fuisse, ita ut vix unus codex inveniretur ipsius ætate, qui signa illa non haberet; existimavit Masius, ipsam editionem Origenis prout in Hexaplis habebatur, ab omnibus Ecclesiis receptam fuisse tam Græcorum quam

A Latinorum, Syrorum quoque & Ægyptiorum. Quod nullo modo verum est. Alioqui quomodo diceret idem Hieronymus in Præfatione in libros Paralipomenon, sua ætate totius orbis Ecclesias tripartita inter se varietate pugnasse; cum Alexandrini in 70. suis Helychii editionem probarent; Byzantini & Asiani exemplaria Luciani martyris legerent; Palestini verò Origenis editione uterentur. Attu, qui duplicem 70. Interpretum editionem in Hexaplis positam fuisse censet; alteram puram & germanam; alteram *non* seu vulgatam, de hac posteriore intelligendum esse ais, quod scripsit Hieronymus. Sed ut omittam ea quæ adversus hanc duplicem Origenis editionem superius disputata sunt, quomodo responsurus es ei argumento, quod contra sententiam Masii paulo ante protuli. Tam enim tuam quam Masii sententiam argumentatio illa subvertit.

B Habes, vir doctissime, meam de 70. Seniorum versione sententiam: & quibus argumentis adductus tuæ opinioni subscribere non possim. Superfuit adhuc nonnulla de Tetraplis & Hexaplis Origenis abs te dicta, quæ ampliolem inquisitionem merentur. Sed ea opportunius in adnotationibus Eusebianis à me prope diem exponuntur. Jam enim sentio me Epistolæ modum excedere. Vale, vir doctissime. Lutetia Parisiorum Idibus Novembris, anno 1655.

HENRICI VALESII DISSERTATIO de Martyrologio Romano quod edidit Rosveydus.

FUIT hæc Baronii sententia, plurimorum postea doctorum virorum firmata consensu; Ecclesiam Romanam habuisse olim proprium ac peculiare Martyrologium; ejusque mentionem fieri tum à Gregorio Magno, tum ab Adone Viennensi: sed temporum injuriâ illud postea intercidisse. Italle in libro de Martyrologio Romano, cap. 8. Existit postea Heribertus Rosveydus vir doctus ac diligens, qui cum Martyrologium illud ab Adone laudatum & à Baronio summis votis expectatum reperisset, illud nobis edidit, præfixo veteris Romani Martyrologii ambitioso titulo. Adeoque persuasit doctis hominibus Rosveydus, ut ab omnibus diversæ etiam communionis viris, hoc Martyrologium pro veteri Romano accipiantur, ejusque auctoritate ac testimonio omnes passim in libris suis utantur. Ego verò contra affirmo, nullum unquam fuisse proprium ac peculiare Martyrologium Ecclesiæ Romanæ, ante illud quod jussu Xysti quinti Pontificis Maximi editum est hoc titulo, & Baronii notationibus illustratum. Ac ne fortasse quibusdam videar id temere affirmare, primum quidem causas afferam, quæ me ut ita sentirem impulerunt. Deinde aliorum rationibus atque argumentis respondebo.

Nobiliore Ecclesiæ suos semper fastos habuerunt, in quibus & Episcoporum nomina, & martyrum qui apud ipsos passi fuerant natales dies percripti habebantur. Ac de catalogo quidem Episcoporum Hierosolymæ, testis est Eusebius in lib. v. Historiæ Ecclesiasticæ. Tertullianus quoque in lib. de præscriptione hæreticorum, indices istos in singulis Ecclesiis studiosè servatos fuisse docet. Sic enim hæreticos alloquitur: *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum: evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui*

tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesia Apostolica census suos deserunt. De Fastis verò in quibus singulæ Ecclesiæ descriptos habebant natales martyrum suorum, præter Tertullianum & Cyprianum jam ab aliis laudatos, testis est Epistola Smyræorum ad Philomelienses de martyrio B. Polycarpi. Sic etiam Romana Ecclesia quæ omnium princeps ac mater est, jam inde à primis temporibus suos habuit Fastos, in quibus & depositiones Episcoporum & natales Martyrum erant consignati. Quæ Calendaria posterior ætas vocavit. Hujusmodi Calendarium Romanæ Ecclesiæ vetustissimum, & Liberii Papæ temporibus conscriptum, hodie extat: quod doctissimus vir Ægidius Bucherius unâ cum Victori Cyclo Paschali edidit Antverpiæ. Eiusdem generis est Sacramentarium Gregorii Magni: Item Capitulare Evangeliorum totius anni, quod à doctissimo viro Joanne Frontone nuper Parisiis est editum. Cujus libri multa MSS. exemplaria passim præstant in Bibliothecis Gallia. Verum hæc Calendaria longè differunt à Martyrologiis. Singulæ enim Ecclesiæ, ut dixi, sua habuere Calendaria, in quibus digesta erant nomina Episcoporum & martyrum, diesque notati quibus memoria eorum anniversario cultu celebraretur. Martyrologia verò, non unius loci propria, sed totius Ecclesiæ fuere communia, quippe quæ totius orbis martyres confessoresque generaliter continerent. Et in Calendariis quidem nomen urbis nunquam adscribitur, cum in usum duntaxat unius Ecclesiæ comparata sint. At in Martyrologio nomina singularum urbium & oppidorum adscribuntur, verbi gratia, Romæ, Alexandriæ, Antiochiæ & similia; propterea quòd ad usum totius Ecclesiæ illud institutum est. Ex pluribus enim diversarum urbium Calendariis, unum compositum est Martyrologium. Itaque Calendaria Martyrologiis vetustiora

sunt, quippe quæ originem illis præbuerint. Quòd si **A** quis pervicaciter contendat. Calendarium etiam dici posse Martyrologium, equidem non magnopere repugnabo, dummodo privatum Martyrologium appelletur. Verùm hæc impropria locutio est, cum Martyrologium, si proprie definire voluerimus, ad usum totius Ecclesiæ ex æquo pertineat, nec huic Ecclesiæ magis competat quàm alteri. Denique Calendaria nomen duntaxat exhibent martyrum, diemque ac locum in quo fit statio: in Martyrologiis verò & genus passionis, & tempus quo passi sunt martyres, & locus ac iudex adnotari solent.

Ex his liquet, verissimum esse id quod initio dixi. Ecclesiam scilicet Romanam proprium ac peculiare Martyrologium nunquam habuisse. Habuit quidem illa suos Fastos suumque Calendarium, uti superius ostendimus. Sed proprium ac privatum ejus Martyrologium nullum unquam fuit, nisi forte Calendarium pro Martyrologio accipiamus. Id verò ex his quæ dicturus sum, longe adhuc manifestius fiet. Primum enim Uluardus in Epistola ad Carolum Calvum quam Martyrologio suo præfixit, omnium qui Martyrologia ante ipsum conscripserant, indicem texens, nullam Romani Martyrologii mentionem facit. Ait enim primum omnium Hieronymum scripsisse Martyrologium: post hunc verò Bedam presbyterum. Cujus liber cum esset brevissimus, & plurimos dies vacuos haberet, eum à Floro Magistro auctum esse dicit ac locupletatum; idque duplici editione. Quòd si tunc Romanum Martyrologium aliquod exstitisset, procul dubio id non omisurus fuisset Uluardus, propter maximam Romanæ Ecclesiæ auctoritatem. Quis enim unquam sibi persuaserit, Martyrologium Romanum, si quidem ullum unquam fuit, Uluardi notitiam fugere potuisse, viri doctissimi ac diligentissimi? Cur Uluardus Hieronymi ac Bedæ Martyrologia duo brevissima, & Flori Magistri editiones duas quibus Bedæ Martyrologium suppleverat, commemoravit: Romanæ verò Ecclesiæ Martyrologium prætermisit? Miratur quidem Baronius, quòd Joannes Molanus in doctissimo illo de Martyrologiis libro quem Uluardi editioni subjecit, nullam Martyrologii Romani fecerit mentionem. Idque variis modis excusare conatur, ut persuadeat lectoribus, Molanum sententiam postea mutavisse. Sed longe magis mirari debuerat, quòd Uluardus in Epistola superius memorata, in qua omnes qui ante ipsum Martyrologia conscripserant accuratè recenset, Romanum tamen Martyrologium ex quo tanquam ex fonte reliquos sua hausisse Baronius scribit, ne nominavit quidem. Beda quoque in cap. 6. Evangelii B. Marci, agens de die quo Joanni Baptiste præfixum est caput, citat librum Sacramentorum, & Martyrologium quod B. Hieronymi insignitum est nomine: Romani verò Martyrologii nullam mentionem facit. Atqui si Bedæ temporibus Martyrologium Romanum ullum fuisset, cur Beda Sacramentarium potius Gregorii Magni, quàm Martyrologium Romanum laudare voluisset? Cur testimonio potius libri subditicii qui Hieronymo falsò adscribitur, quàm Romani Martyrologii auctoritate usus esset?

Sed dicit aliquis id quod à Baronio dictum est, Gregorium Magnum & Adonem Viennensem Romani Martyrologii non obscuram mentionem fecisse. Primum nego Romanum Martyrologium à Gregorio Magno esse nominatum. Locus Gregorii ex Epistola ad Eulogium Alexandrinum Episcopum sic habet: *Nos pene omnium martyrum, distinctis per dies singulos passionibus, collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemniter*

agimus: non tamen in eodem volumine quæ qualiter sit passus indicatur, sed tantummodo locus passionis ponitur. Ut sit, ut multis ex diversis terris atque provinciis per dies (in prædix) singulos cognoscantur martyro coronari. Sub hæc habere vos beatissimos credimus. Nullum hic verbum de Romano Martyrologio. Id enim tantum dixit Gregorius Magnus, habere se Martyrologium in quo martyrum simul martyrum nomina per singulos anni dies descripta essent, addito passionis eorum loco. Sed non dicit, Martyrologium illud proprium ac peculiare fuisse Ecclesiæ Romanæ. Immo contrarium potius videtur innuere. Ait enim: *Nos pene omnium martyrum, &c.* Id est, nos Latini & Occidentales. Scribebat enim Gregorius Eulogio Alexandrino Episcopo. Quare Martyrologium illud cujus ibi meminit Gregorius, non fuit proprium Ecclesiæ Romanæ, sed commune cum reliquis Occidentalibus. Hoc autem non aliud fuit eo quàm tempore, quam Martyrologium B. Hieronymi. De hoc igitur intelligendus est Gregorii locus. Certe hoc verum Hieronymi Martyrologium in Italia atque in Occidentis partibus vulgò receptum fuisse, docet Cassiodorus in libro de divinis lectionibus cap. 31. Ex quo colligitur, Martyrologium illud licet falsò nomen Hieronymi præferat, tamen vetustissimum esse, ac paulo post obitum ipsius Hieronymi à nescio quo evulgatum. Legimus illud nuper, à viro doctissimo religiosissimoque D. Luitpoldo Dacherio ex Bibliotheca sancti Germani nobis commo-datam. Simulque perpeleximus, verba Gregorii Magni huic Martyrologio egregie convenire. Quod enim Gregorius, locum duntaxat & diem passionis in eo volumine positum fuisse, id in illo B. Hieronymi Martyrologio perspicue deprehenditur. Deinde quod Gregorius addit, *per dies singulos* notata illic fuisse multorum martyrum nomina, id etiam certere licet in illo quod dicit Martyrologio, in quo nullus dies est sine martyrum nomina, contra quam in Martyrologio Rosveydi. Quæ locus Gregorii Magni nullo modo accipi potest de Martyrologio illo quod pro vetere Romano editum Rosveydus: cum in illo Rosveydi Martyrologio, unus fere martyris nomen singulis diebus adscriptum sit. Denique quod ait Gregorius Magnus: *sed hæc habere vetustissimos credimus*, soli Martyrologio B. Hieronymi competere videtur. Cum enim ejus Martyrologii auctor, Eusebius Cæsariensis, Hieronymus verò Interpretis duntaxat esse crederetur, ut scribit etiam Beda in Retractionibus in Acta Apostolorum, idcirco Gregorius Magnus hoc Martyrologium de quo loquitur, penes Eulogium Alexandrinum græcè existare existimabat. Omnia quod ait de quotidianis Missis in honorem martyrum celebratis: in quo alludit procul dubio ad Epistolam illam Hieronymi Martyrologio præfixam.

Et hæc quidem ad locum Gregorii Magni sint dicta. Quod spectat ad testimonium Adonis Viennensis, non difficilis est responsio. Nam præterquam quòd recentior est Ado, nec ad tantæ vetustatis monumentum confirmandum satis idoneus, ex ejus verbis nihil elici potest quo probetur fuisse ullum Martyrologium Romanum. Ait enim Ado vetustissimum Martyrologium sibi traditum fuisse à quodam, quod olim à Pontifice Romano missum esset Aquileiam. Non dicit Ado hoc Martyrologium fuisse Romanum, sed tantum missum à Pontifice Romano Aquileiam. Verùm monachus ille qui hoc Adoni affirmabat, ei impoluit procul dubio, ut majorem suæ codici auctoritatem compararet, & munus suum ac describendi copiam quam Adoni fecerat, vendicaret. Non enim Romæ, sed Aquileiæ compositum est illud Marty-

rologium quod Ado Martyrologio suo præfixit, ac Rolfveydus pro veteri Romano nobis postea edidit. Id autem ita se habere, his rationibus adducor ut credam, Totum fere illud Martyrologium quod à Rolfveydo publicatum est, descriptum est ex Ecclesiastica historia Rufini Presbyteri Aquileiensis, cum ipsis etiam mendis quæ in Rufino habentur. Exempli gratia: Pridie Nonas Februarii in eo Martyrologio leguntur hæc verba: *In civitate Egypti Tomus B. Phileæ Episcopi, & Philoromi Tribuni.* Ita Rufinus in lib. 8. sed male. Neque enim Philoromus Tribunus militum fuit, sed Rationalis summorum Egypti, ut in adnotationibus Eusebianis ostendimus. Idem Idibus Aprilis hæc habentur in illo Martyrologio: *Apud Pergamum Asia, Carpi Episcopi & Papyri, Agathonica & aliorum.* Ita etiam legitur apud Rufinum corruptè, cum Papyrus dictus fuerit, ut scribitur apud Eusebium & in Martyrologio B. Hieronymi. Idem die 19. Octobris sic habet: *Ptolemæus qui à quodam Centurione Urbis iudicatus, & Lucii ac Tertii simul decollatorum, qui Alexandria sepulti sunt.* Quæ desumpta sunt ex Rufini libro quarto. Sed compilator istius Martyrologii quisquis ille fuit, duos gravissimos errores hic admisit. Cum enim Rufinus præter Ptolemæum ac Lucium, tertium quemdam ab Urbice iudice damnatum esse dixisset, iste Tertium nomen proprium esse existimavit. Et quoniam apud Rufinum legerat, accusatorem Ptolemæi Alexandria commoratum fuisse, tres illos martyros Alexandria cæcos ac sepultos esse credidit, qui tamen Romæ & necati sunt & sepulti, ut ex Iustino constat. Jam verò illa quæ in dicto Martyrologio leguntur die secundo Novembris: *Laodicea Theodoti Episcopi qui arte medicus fuit,* descripta sunt ex Rufini libro 7. capite ultimo. Sed compilator iste non animadvertit, Theodotum hunc Laodiceæ Episcopum, cuius eo loco laudationem intexit Eusebius, Arianarum partium præcipuum fautorem fuisse: quippe qui & ab initio Arianum dogma tutatus sit, & post Nicænum Concilium conspiratione cum Arianis facta Eustathium de Antiochena sede deiecerit, ut scribit Theodoritus in lib. 1. historiarum cap. 24. Hic est Theodotus cui Eusebius libros suos de

preparatione Evangelica nuncupavit, & cuius meminit Suidas in voce ἀπολυτῶν. Non ignoro in Bedæ Ulfuardi & aliorum Martyrologiis hunc Theodorum eo quem dixi die nominatum reperiri; sive illi ex Rufino, sive ex istius Martyrologii compilatore imprudenter id hauserint. Idem quoque error irrepsit in Martyrologium Romanum, quod à patrum memoria iussu Xysti quinti editum & Baronii notationibus illustratum est. Nec satis mirari possum, quoniam modo id Baronii diligentiam fugerit. Denique die 4. eiusdem mensis in eodem Martyrologio hæc leguntur: *Alexandria, Hieronymi presbyteri, &c.* Quæ desumpta sunt ex Rufini lib. 7. cap. ultimo. Ubi vulgatae quidem editiones Pierium præferunt. Sed in manuscriptis quotquot vidi exemplaribus Hieronymi dicitur; quamvis mendose, ut in adnotationibus observavi. Satis ut opinor jam liquet, Martyrologium illud quod Ado Viennensis suo præfixit Martyrologio, nullo modo dici posse Romanum: cum nec Ado ipse illud Romanum appellet, ac præterea gravissimis erroribus scaeat. Quis enim credat, hominem hæreticum, & Arianae factionis antesignanum, in veteri Romano Martyrologio cum Confessoribus ac Martyribus consecratum fuisse. Nec est quod quis objiciat, in recentiore Martyrologio Romano quod Xysti quinti iussu est editum, eundem errorem haberi. Dispar enim utriusque cõditio est. Nam in recentiore quidem Martyrologio error iste excusari potest, cum illud ex Ulfuardi, Adonis aliorumque Martyrologiis collectum fuerit. In vetus autem Martyrologium Romanum, ex quo tanquam ex fonte reliqua proflexerunt, tantus error cadere non potest. Alterutrum igitur dicamus necesse est; aut Adonem solum nobis fecisse, qui hoc Martyrologium tanquam à Romano Pontifice transmissum ediderit; aut monachum qui hoc Adoni affirmaverit, illi impulsisse. Quorum prius cum de Viennensi Antistite credi non possit, tota fraudis suspicio cadit in monachum. Sed cuiuscumque ea fraus fuit, Martyrologium hoc Romanum dici non potest; verum Aquileiense potius, aut alio quovis nomine est appellandum.

ADDENDA IN ADNOTATIONIBVS.

Pagina 8. columna prima B. post has voces: *non convenit generationi divinis.* Adde: Rectius ergo est ἀποτύπῳ. Certe Clemens Alexandrinus in lib. 5. Stromatei Filium Dei vocat ἀποτύπῳ ἐν σοφίᾳ. Pag. 9. col. 1. A. post hæc verba: *us ipse Eusebius testatus est supra.* Adde: At Blondellus in Apologia profententia B. Hieronymi de Episcopis & presbyteris cap. 19. libros de Evangelica Demonstratione ab Eusebio scriptos esse censet post Ecclesiasticam historiam. Quippe Eusebius, inquit, in libro 6. de Demonstratione cap. 13. historiam suam citat. Sed Blondellus decepit latina interpretatio, quæ sic habet: *Quod si quidquam nostra quoque historia valet, nostris ipsorum temporibus illam antiquitatis celebratam Sion junctis bubus à Romanis viris arari, oculis nostris inspeximus.* Verum longe aliud sonant græca Eusebii verba, quæ hic ponam: *εἰς οὗ τὸ δῶμα τῆς ἡμετέρας ἰστορίας, καὶ ἡμεῖς ἀντὶς τῶν παλαιῶν βουμένων Σιών ζῆλον ἐσθλὸν ἔσται ἰσχυρῶν ἀνδρῶν ἀρουμένων ἐσθλῶς καὶ μετὰ ἀρετῆς. Id est: Quod si nostrum quoque testimonium aliquid ponderis habet, Sionem illam quæ olim tantopere celebrata est, etas nostrâ à Romanis arari, ipsi oculis nostris vidimus.* Vides Eusebium non de historia sua lo-

qui. Nam ἰστορία eo loco nihil aliud est quàm testimonium oculorum. Pag. 9. col. 2. D. Post hæc verba: *hanc quoque pericopem non agnoscit.* Adde: Nec Petrus Alexandrinus in sermone de penitentia, canone 2. Pag. 21. col. 2. C. Post hæc verba: *Idem repetit Eusebius in lib. 2. sub initium.* Adde: Hunc B. Hieronymi errorem jam dudum notavit Beda in cap. 1. Retractationum in Acta Apostolorum. Pag. 30. col. 2. C. post verba illa: *ἐκὰς δὲ ἐν ἑπ' ἀποσῶν.* Adde: Et in Evangelio Lucae cap. 10. *Si in Tyro & Sidone facta fuissent virtutes quæ facta sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes paniterent.* Pag. 31. col. 2. A. Post hæc verba: *qui reverentiam omnium primi.* Adde: Eodem quoque modo locutus est Symeon Metaphrastes in Actis manuscriptis passionis Petri Alexandrini Episcopi. Illic enim Petrus in carcere positus Achillam & Alexandrum presbyteros ita affatur: *Ἐπεὶ καὶ ὡς ζῆλον ἐρεῖν ἡμᾶς καὶ προσεύχεται, μνησθέντες παρὰ τοῖς ἄλλοις καὶ τὸ κινδύων, ἔσους ὑπομένει ἐν ἑσθλῶ καὶ ζῆτῳ ὁ ἀναστρέψα μιν; μετὰ τὸν μου ὁ ἐπίσκοπος Θεωδῶς, &c.* Et paulo post: *μιμνήσθητε δὲ καὶ τὴν μεγάλην διουσίαν, ὅς*